

Kemnitius admisit quidem eiusmodi causas ad magistratum politicum pertinere, Ecclesiae tamen esse contendit de casibus conscientiae respondere, qui circa matrimonium ex verbo Dei dependent (22). Plures denique protestantes ipsum catholicorum ius canonicum adoptarunt (23), atque ad forum ecclesiasticum causas matrimoniales revocarunt. Auctoritas itaque saltem protestantium iis regalistis silentium imponat, quibus traditionis catholicae et Ecclesiae non sufficit auctoritas.

ARTICULUS II. — Sponsalia, quatenus ad Sacramentum Matrimonii disponunt, subiacent iuri Ecclesiae.

Ad causas matrimoniales etiam causae de sponsalibus revocari solent. Superest igitur ut nonnulla adiiciamus circa eadem sponsalia, quae constituant partem integralem ac preparatoriam coniugiorum christianorum, de quibus disserimus. Paucis ab hac materia nos extricabimus, cum nobis in animo non sit persequi, quae ad theologiae, quam moralem vocant, aut ad iuris canonici quaestiones practicas referuntur.

Sponsalia definiri consueverunt : « promissio mutua et liberata futuri et aliquando contrahendi matrimonii sufficientibus verbis aut signis declarata inter personas ad contrahendum iure habiles et idoneas. » A Nicolao I. Rom. pontifice dicuntur sponsalia « futurarum nuptiarum promissa foedera (24). »

Haec vero sponsalia non subesse Ecclesiae potestati, sed unice potestati civili ac politicae synodus Pistoriensis autumavit, cuius proinde propositio, quae est sub numero LVII. a

rentiis iuris civilis et canonici, qui summis laudibus ius canonicum pontificium effert.

(22) In 2. part. Examin. conc. Trid. pag. 272.

(23) Id factum legimus in *Ordine Ecclesiae Brunsvicensis* an. 1669. Item in *Regulamento confessionali Brandenburgensi* an. 1575, vol. I. pag. 658.

(24) In resp. ad *Consulta Bulgarorum* cap. III. ubi subdit: « Quaeque sensu eorum, qui haec contrahunt, et eorum, in quorum potestate sunt, celebrantur. »

Pio VI. in dogmatica constitutione *Auctorem fidei* censura notata est, prout superius vidimus, nec non iterum fuisse proscriptam in Nepomuceno Nuytz a Pio IX. patefecimus.

Iam vero iure ac merito damnatam fuisse eiusmodi doctrinam, nullius negotii est ostendere, si paulo animum intendamus ad principium, unde dimanat, ad rei, qua de agitur, naturam, ad Patrum doctrinam, ad usum denique et proxim Ecclesiae universae.

Etenim synodi Pistoriensis adeoque Nuytz doctrina circa sponsalia non est nisi corollarium principii antea constituti de potestate politica in matrimonium. Siquidem semel posito quod Principum sit matrimonium moderari, eiusdemque impedimenta dirimentia auctoritate propria constituere, aut relaxare, causas matrimoniales cognoscere ac iudicare, primum erat inferre sponsalia quoque, utpote actum disponentem ad coniugii celebrationem, et cum eo intime connexum, a regime politico pendere. Porro quum principium eiusmodi falsum, erroneum, immo vero et haereticum haberi debeat iuxta ea, quae fuse ostendimus, nos ex contrario principio colligimus, iure optimo veluti falsam, erroneam, ac haeretica labore infectam proscriptam fuisse pseudosynodi ac Nepomuceni Nuytz doctrinam.

Sed et ex intima rei natura id ipsum adstruimus. Cum enim matrimonium christianum sit a Christo ad sacramenti dignitatem evectum, ac re indistinctum a naturali contractu, omnino consequitur, quod, si illud ex divina dispositione subiacet Ecclesiae potestati, subiacere necessario debeant eiusdem auctoritati sponsalia, utpote quae ad sacramentum rite suscipiendum disponunt. Ad eum nempe modum, quo catechumenatus respectu baptismi, ac dispositiones praeviae ad sacramenta reliqua debent ab Ecclesia unice dirigi, adeo ut ipsa et quidem sola possit disponere, moderari, diiudicare, decernere, quae ad eadem valide, licite atque cum fructu suscipienda requiruntur, sic etiam solius Ecclesiae est ob intimum nexum, quem cum connubio sacramentali habent sponsalia, ea regere, de iis disponere,

leges statuere, deque ipsorum valore ac legitimitate iudicium ferre.

Huc accedit quod ex sponsalibus impedimenta orientur sive dirimentia sive impeditia matrimonium, ut patet ex impedimento publicae honestatis, quod coniugium dirimit, atque ex impedimento, quod dicitur *sponsarium*, quodque impedit quoniam is, qui sponsalibus cum aliqua obstrictus est, illis perdurantibus seu non solutis, cum alia se coniugio copulet. Quum vero Ecclesiae sit declarare, quando et in quibus rerum adiunctis quibusque sub conditionibus sponsalia vi-geant, ac proinde matrimonii impedimentum recensitosque effectus pariant, ab hisque, si opus fuerit ac necessitas exigat, dispensare, Ecclesiae potestati sponsalia obnoxia esse necesse est, et quidem ut iure suo, non autem ex principiis venia de iis possit iudicium ferre.

Quod vero Patres christianorum sponsalia habuerint uti rem sacram atque Ecclesiae legibus moderandam, ex eo deprehenditur, quod de iis tanquam de matrimonii parte integrali disserant. Sane Tertullianus in notissimo eius textu ex lib. II. *Ad uxorem* etiam sponsalia complectitur, dum dicit: *quod Ecclesia conciliat*, ut ostendunt Lacerda aliquique huius scriptoris expla-natores (25). Sic etiam S. Cyrillus Hierosolymitanus exponens catechumenis sponsalia, quae apud christianos contrahuntur (26). S. Syricius autem pro certo assumit sponsalia a sacerdote esse benedicenda, in saepius laudata epistola ad Himerium Tarracensem scribens: « Hoc ne fiat modis omnibus inhibemus, » *quia illa benedictio, quam nuptiae sacerdos imponit*, apud fideles cuiusdam sacrilegii instar est si ulla transgressione violetur (27). »

Quapropter concilium Illiberitanum can. LIV. constituit:

(25) Cuiusmodi sunt Hamelius, Rigaltius in notis ad hunc locum, necnon Lupus, et Albaspinaeus in commentariis suis, aut explanationibus opp. Tertulliani.

(26) Catech. III. §. 1. et 2. ed. Touttei pag. 59.

(27) Apud Constant. Epist. Rom. pontif. epist. I. n. 3. col. 628.

* Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore abstineant a communione; si tamen iudem sponsus vel sponsa in illo gravi crimen fuerint deprehensi, excusati erunt parentes; si in eodem fuerint vitio et polluerint se consentiendo, superior sententia servatur (28). * S. Augustinus passim de sponsalibus loquitur, ac de *tabulis matrimonialibus*, aut *signatorius*, quae ex Ecclesiae praescripto legebantur in sponsalium celebratione, atque ab episcopo subscribebantur (29); ut alia documenta exploratissima missa faciam, in quibus etiam ritus describuntur de arrhis, deque annulis, iisque benedictis, quae in sponsalibus tradebantur (30).

Adeo vero res haec semper explorata fuit, ut innumeris prope habeantur canones a conciliis statuti, in quibus plura de sponsalibus decernuntur absque ullo ad leges civiles respectu, imo quibus leges civiles corriguntur et emendantur. Id patet ex iis canonibus, quibus distinguuntur sponsalia a matrimonii ratis, prout in nonnullis imperatorum legibus spectabantur (31).

Ex his iam planum fit quid de perpetuo Ecclesiae usu et praxi, prout ultimo loco constituimus, sentiendum sit. S. Ambrosius loquitur de velamine, quod a sacerdote benedictum in sponsalibus tradebatur (32); de quo ritu longe ante iam

(28) Apud Harduin. *Acta Concil.* tom. I. col. 256. in quem canonem cf. quae eruditie scripsit card. de Aguirre *Collect. maxima concil. omnium hispanicor.* tom. I. pag. 620 seqq. cf. item Albaspinaeum in hunc eundem canon.

(29) *Serm. 10. n. 18.* item *serm. 57. n. 7. serm. 51. n. 22.* et *serm. 532. n. 4.* ed. Maur. in hoc postremo sermone expresse scribit S. Doctor: « Verum est: » istis tabulis subscrivit episcopus. »

(30) Cf. Marten: *De antiquis. Eccles. ritibus* lib. I. cap. IX. ar. 5. nec non Goarium in *Euchologio graec. in officio in sponsalibus* pag. 380. Item Birmingham *Origin. sive antiquit ecclesiast.* lib. XXII. cap. III. §. 4 seqq.

(31) Cf. Lupum schol. in can. XCIII. concilii Trullani, ubi inter caetera scribit: « Etiam sponsalia semper consueverunt in ecclesia fieri; benedicti a sacerdote, esse summae obligationis: uti liquet ex can. IX. Ancyrano, et LIV. Illiberitano » opp. ed. Venet. 1724. tom. III. p. 463.

(32) Lib. *De Instit. virgin.* cap. XVII. n. 108 seq. ed. Maur. tom. II. pag. 273. et item lib. *De exhort. virginit.* c. VI. n. 34. pag. 286. et alibi.

locutus fuerat Tertulianus (33); postea vero S. Isidorus Hispalensis (34), ac Theodorus Studita (35), nec non S. Nicolaus I. describens « morem, ut ipse loquitur, quem sancta Romana » suscepit *antiquitus*, et hactenus in huiusmodi coniunctioni- » bus tenet ecclesia vobis monstrare studebimus. » Deinde vero ritum exponit in sponsalibus servari solitum (36).

In non paucis conciliis particularibus invenimus praeterea fuisse sancitum, ut sponsalia in publica celebrarentur ecclesia coram parocho et testibus, ut in conc. Rhemensi, in quo statutum est ea fieri debere « nonnisi coram paraeco vel eius vicario, idque in ecclesia, et non alibi, nisi de ordinarii licentia gratis concedenda, quatuor vel tribus saltem testibus praesentibus (37). » Eadem etiam publice celebrari longe ante iusserant synodus Coloniensis (38), item statuta synodalia Gulielmi Gubernatoris, Macloviensis episcopi (39), synodus Wigoriensis (40), quae in super constituit: sponsalia *nisi iejuna saliva* fiant (41).

Cum igitur tum ex rei ipsius natura, tum ex Patrum doctrina, tum denique ex usu constanti iugique totius Ecclesiae praxi certum sit sponsalia spectata semper fuisse uti partem integralem matrimonii, cuius administratio a Christo Domino Ecclesiae commissa fuit, pluribus opus non est, ut concludamus iure meritoque inustam fuisse a Pio VI. pontifice censuram doctrinae synodi Pistoriensis, et iterum a Pio IX. eamdem confirmatam fuisse in damnatione operum Io. Nepomuceni Nuytz, professoris

(33) In lib. *De veland. virginibus* cap. XI seqq.

(34) Lib. *Etymolog.* lib. IX. c. 7. et *De officiis* lib. II. c. 20. ed. Arevali Romae 1798.

(35) *Epistol.* lib. I. ep. 50. ed. Sirmondi opp. tom. V.

(36) In cit. *Resp. ad consulta Bulgaror.* loc. cit.

(37) Decreto de matrimonio n. 4. apud Harduin. *Acta concil.* tom. X. col. 1287. celebratum est autem an. 1585.

(38) Cap. X. quae coacta est an. 1280. apud Hard. *Acta conc.* tom. VII. col. 829.

(39) Apud Martenium *De antiqu. Eccl. rit.* lib. I. cap. IX. art. 5.

(40) Cap. XIV. Ibid. col. 553. celebrata est haec synodus an. 1240.

(41) Cf. Marten. op. et loc. cit.

Taurinensis, qui obsoletam iamdui iacentemque erroneam doctrinam e suis cineribus exsuscitare non dubitavit.

Non omnem tamen potestati politicae auctoritatem adimimus in sponsalia, sed eamdem ei tribuimus, quam ulti concedimus in coniugia, nimirum posse civile regimen ea statuere ac sanctificare, quae ad sociale bonum conducunt, quaeque intra fines temporalium effectuum continentur. Nempe ad eum modum, quo potestas civilis potest declarare in foro suo coniugia illegitima ac nulla, quae inirent subditi contra legum sanctiones, ita ut non fruantur civilibus effectibus, sic potest se gerere relate ad sponsalia, ita ut nullum civile effectum producant, si secus ac a lege statutum est, celebrentur.

Et reipsa ita comperimus, antiquitus egisse Ecclesiam in relatione ad leges civiles quoad sponsarium effectus. Interdum enim probavit leges civiles, quae statuerant sine parentum consensu sponsalia celebrari non posse. « In sponsalibus, inquit iuris consultus Paulus, etiam consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur (42); » et in nuptiis parentum consensum desiderari idem Paulus testatur dicens: « nuptiae consistere non possunt, nisi consentiant omnes, qui coēunt, quorumque in potestate sunt (43). » Quare Ulpianus: « in potestate, inquit, manente filia, pater nuncium remittere potest, et sponsalia dissolvere (44). » Has leges Ecclesiam olim adoptasse constat ex pseudo-Evaristi decretali, quam affirmus tantum ut documentum antiquitatis: « Aliter, in ea legitur, legitimū sicut a Patribus accepimus et a sanctis Apostolis eorumque successoribus traditum invenimus, non sit coniugium, nisi ab his, qui super ipsam foeminam dominacionem habere videntur et a quibus custoditur, uxor petatur, et a parentibus et a propinquioribus sponsetur (45), »

(42) Paulus I. 55. *In edictum in leg. 7. De sponsalibus.*

(43) Ead. lege *Ad edictum ff. De ritibus nup.*

(44) Ulpianus in I. *De potestate* 10. *De spons.* Constat autem ex A. Gellio lib. IV. *Noct. Atticar.* c. 4. postea fuisse legem hanc sublatam aut temperatam.

(45) Apud Gratianum in cap. *Aliter.* 32. q. 5.

ut alia praeteream (46). Contra vero Nicolaus I. parentum aut propinquorum consensionem minime necessariam declaravit, dicens : « Sufficiat secundum leges (nempe Ecclesiae) solus » eorum consensus, de quorum coniunctionibus agitur. Qui con- » sensus si in nuptiis solus forte defuerit, caetera omnia, » etiam cum ipso coitu celebrata, frustrantur (47). » Eadem confirmat Innocentius III. (48), Lucius item III. (49), ac de- dum concilium Tridentinum (50).

Ex quibus illud etiam eruitur, non modo civiles leges, verum etiam ecclesiasticas in eodem censu habuisse sponsalia ac matrimonium, adeoque cum constet, Ecclesiam uti obiectum suum constanter habuisse coniugium, utpote sacramentum, et qui- dem exclusive, in quod exercebat suam potestatem, ita etiam constat, uti suaे auctoritatis obiectum spectasse sponsalia, quae ad ineundum coniugium viam parant. Exinde novum oritur argumentum ad Ecclesiae potestatem in sponsalium vinculum exclusive adstruendam vindicandamque adversus Pistorienses, Nuytz, atque aulicos et regalistas caeteros (51).

(46) Tertul. lib. II. *Ad uxor.* c. V. scribit : « Nam neque in terris sine con- » sensu parentum filii recte et iure nubent. » Cf. Gonzalez in *Notis ad conc.* *Illiberit.* ad can. LIV. Item Pontium *De matrim.* lib. II. cap. I. §. I. et II. Anastas. Germonium *Animadvers.* lib. II. cap. XI. Romae 1622. opp. tom. II. pag. 170. seqq. Espenaeum *De clandestin. matrim.* c. 11 seqq. opp. ed. Paris. 1619. pag. 635. Albaspin. ad Tertull. lib. observat. XXIV. Francisc. Hotmanum *De sponsal. illustrib.* quaest. IX. De his etiam agit Brissonius in duobus libr. *De ritu nuptiar.* et *de iure connubior.*

(47) Consul. *Bulgaror.* c. 5. Gratian. in cap. *Sufficiat.* causa XXVII. q. 2.c.2.

(48) In cap. *Tuae fraternitati de sponsal. et matr.*

(49) In epist. ad Burgens. episc. in cap. *Cum causa de raptoribus.* Decr. lib. V. tit. 17. 6.

(50) Sess. XXIV. *De reform. matr.* cap. I.

(51) Vidimus paulo ante vel ipsum Boehmerum, iurisconsultum Lutheranum, ad causas mere ecclesiasticas sponsalia referre, atque uti tales a tribunalibus protestantium haberi.

CAPUT VI.

De Ecclesiae potestate in matrimonio haereticorum inter se vel cum catholicis.

ARTICULUS I. — Generatim matrimonialis Ecclesiae legislatio Matrimonia respicit non modo catholicorum verum etiam mixta et haereticorum.

Suspiciari forte quis posset ea, quae diximus de Ecclesiae po- testate in matrimonium christianum, ad catholicos solum coniuges pertinere. At matrimonialis Ecclesiae legislatio matrimo- nia attingit non modo catholicorum, sed etiam mixta, et haere- ticorum. Ac de matrimonii quidem mixtis plura dicenda essent, sed quoniam de iis fuse in theologicis nostris preelectionibus egimus, nil hoc loco addemus. Tres ibi propositiones statuimus ac vindicavimus : 1. coniugia inter catholicos et acatholicos regu- lariter illicita esse, utpote graviter improbata iure naturali et divino, atque a iure ecclesiastico penitus interdicta ; 2. non nisi Romani pontificis dispensatione licite posse iniri coniugia mixta ; graviter proinde peccarent sacerdotes catholici, qui absque pontificia dispensatione, nec servatis conditionibus ab eo praescriptis, eiusmodi coniugia praesentia sua, benedictione, aliove ritu sacro cohonestarent ; 3. non posse acatholicos, quin omnia laudent aequitatis iura cogere sacerdotes catholicos ad honestandas benedictione aliove rifu sacro nuprias mixtas, quae neglectis canonice sanctionibus contrahuntur (1). Quin igitur dicta repetamus, fixum maneat, Ecclesiam iure suo matrimonia mixta prohibere, eademque prudenter permittere, et Ecclesiae ipsius legislationi semper standum esse, quod attinet ad prolis praesertim catholicam educationem.

Matrimonia mixta obnoxia esse ecclesiasticis impedimentis sive dirimentibus sive impedientibus satis per se appetit ; at quaeritur an idem dicendum sit de iisdem impedimentis circa matrimonia haereticorum. Tota quaestio est de ecclesiasticis

(1) In *Tract. de matrim.* cap. IV.